

## CHYMICA.

251

in Retorta residuum forte aderit, inutile futurum non est, si modo methodus quam deinceps demonstraturus sum inaeatur.

Ignem etiam patente distillari potest Succinum, exceptum Retorta argillacea, aut vitrea luto obducta, in furno Reverberij collocata; Sed nisi summa in ignis regimine praesuerit cautio, periculum imminet a combustionem, imo ne Succinum & Retorta erumpat, ipsumque Receptaculum in fragmenta diffiliat; adeo ut huic distillationi ea quae per Arenam perficitur praeferenda sit.

Succinum, si quis voluerit, conterat in pulverem, Illique partes aequales arenae aut silicium pulveratum admisceat, aut cinerum jam lixivium expertorum, Divisio quippe haec partium Succini facilem utcumque separationem & sublimationem illius partium praestare potest, citra bonitatis detrimentum; At vero ea quae citra additam mentum aliquod perficitur Distillatio potior mihi videtur.

Succini distillatione peracta, vasis autem refrigeratis & de crustatis, derivatum Sal volatile, in Retortae collo ac Receptaculi exiguorum crystallorum specie aggestum, colligendum ac recodendum in Laguna idonea; postea in Matratoria effusis omnibus substantiis, in Recipiente contentis, hoc aqua calida eluo dissolvendi gratia, & conjungendi Salis volatilis cum Oleo, si quae supersint, effusaque hac totura supra reliquas materias, superponendum erit Matratio Alembicum caecum, optime luto vestitum, praegressaque illius Digestione per decem aut duodecim horarum spatium, in Arena Balneo, moderate calido, saepiusque commotis materiis, referandum tandem Matratium, secretionemque facta Olei a parte aquea, Salina & terrestri, seorsum illius Rectificatio peragenda erit, videlicet Olei, id commiscendo quantitati sufficienti cinerum elorum, quantum scilicet hi absorbere poterunt, misturam hanc indendo Retortae vitreae, Balneo arenae, igneque mitissimo Oleum extillaturum eliciendo, prodiens primo album & limpidum, subsequens autem colore paulo intensiore praeditum, postremum vero ad levem fuscedinem vergens.

Partem Aqueam, Spirituosam & Salinam quod spectat, hujus filtro transmissae, ac exiguae Cucurbitae vitreae commissae, Balneo arenae impositae, igne ignissimo, humiditatis superflux tres quadrantes circiter vaporum forma absorbendi sunt, demum Cucurbita in locum frigidiusculum translata, post aliqualem moram derivanda & recodenda Crystalla, eodem Balneo postmodum procurando evaporationem liquoris supernatantis, quo nihil dispareat Salis ibi superstitis, cuius exigua se offert copia, non secus ac prius.

N a 1 6 .